

Etis diligenter, tria illa puncta a , b , c , h in regulam fabricam recepta perscribentur. Sub hac triangulus a , b , c characteribus ita describendus est, vt ex literis b angulum rectum, c b verò lineam quæ ad perpendicularum assurgit, possideat. Vbi ita triangulum distinxeris, c , b latus in sex a quas portiones dispartendum est, quinque incisionibus distinctum, ex quibus totidè lineæ ita protrahentur, vt sinistrorsum versus in a punctum concurrant, deinde amussis seu regula, qua supra dictam longitudinem collegimus, ita huic triangulo accommodabitur, vt quæ in puncto inscripta est, a , c lineæ, in h verò a , b lateri applicetur: quibus ita constitutis, vltro citroque dirigenda est regula tantisper, dum suo numero lineam a , c lateri proximam contingat: ac quæ reliquæ ordine subsequentes lineæ, inter h & h regulam intercipient, inscriptis notulis exactè distinguemus. Hanc dimensionis formam deinde ad valli fundamentum applicabimus, ac ad eius, exemplaris instar, imitationem muros rotundos, hisque passim interceptas areas, inde ex k puncto, ad d , e porrectum murum usque protrahemus. Hac enim commensurationis diligentia id assequemur, vt muri ac his interceptæ areæ decenter affabreque arctiores paulatim euadant. Ideoque hætenus à nobis perscriptam dimensionis figuram, ad susceptum fundamentum accommodatam hisce lineamentis commode expresseris.

Ex hoc a , b , c triangulo, per lineam h inuestiganda est murorum, quæque his intercipiuntur, arearum contractio.

